



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Conslibvs Et Popvlo Esinis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

nobis inquirere studiisti, utrum inter duos parochianos tuos matrimonium quod, puella probante infra nubiles annos se ductam à viro fuisse, de consilio dilecti filii nostri P. sanctæ Mariæ in via lata Diaconi Cardinalis, tunc apostolica sedis Legati, per divortij sententiam diremisti, possis redintegrare licenter, cùm eadem puella jam nubilem ætatem attingens consensum adhibeat, & nullus ex eis ad alia vota se duxerit transferendum. Ad quod tibi taliter respondemus, quod nisi aliam causam rationabilem intervenire cognoveris, securus ad copulam ipsius matrimonij tibi patet absque aliqua hæsitatione processus. Datum Laterani II. Idus Martij.

*GVID. ABBATI MONASTERII
sanctæ Marie de Lundors, ejusque
fratribus tam presentibus quam fu-
turi regularem vitam professis in per-
petuum.*

Epi. 1.
De confirmatio-
nate privile-
giis, Eligiosam vitam elegantibus &c. usque ad verbum ordo monasticus, qui secundum Deum & beati Benedicti regulam in eodem monasterio &c. usque ad verbum vocabulis. Locum ipsum in quo præfatum monasterium à dilecto filio nobili viro David Comite fratre carissimi in Christo filij nostri W. illustris Scotiæ Regis constructum est, cum omnibus pertinentiis suis, per suas rectas divisas, & liberam curiam in terra vestra, & firmam pacem infra divisas ipsius villæ de Lundors, sicut charta dicti Comitis protestatur. Ecclesiam quoque ejusdem villæ de Lundors, cum omnibus pertinentiis suis, scilicet capellas de Bundamor, & terram ad prædictam Ecclesiam pertinentem, per suas rectas divisas, & alias terras in eadem villa, sicut in charta ejusdem Comitis continetur. Insulam quæ vocatur Redinche, & Piscarias in They, juxta prænomina- tam insulam. Molendinum de Lundors, cum omni secta sua, & multura. Ecclesiam quoque de Dunde, cum omnibus pertinentiis suis, & terram ad eandem Ecclesiam pertinentem, & unum toftum in burgo de Dunde liberum & quietum ab omni servitio & exactione. & unam carrucatam terræ in villa de Neutile. & in villa de Pert, terram quæ vocatur Insula ultra Mineth Fintreth per suas rectas divisas cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam ejusdem villæ cum perti-

nentiis suis. In Garviah, Lethgavel, & Malind, cum omnibus pertinentiis suis per suas rectas divisas. Ecclesiam de Rotcheth cum capellis suis, scilicet Inverurin, & Munchegin, & aliis pertinentiis suis. Ecclesiam de Durnah, Ecclesiam de Prame, Ecclesiam de Rathmuriel, Ecclesiam de Inchemanbanin, Ecclesiam de Culsamuel. In episcopatu Lincolniensi. Ecclesiam de Cuningrone, Ecclesiam de Wissinden. In episcopatu de Stratheren, Ecclesiam de Mothel, Ecclesiam de Chelalemund, cum capellis prædictarum Ecclesiarum & terris & decimis ac omnibus earum pertinentiis ad proprios usus monachorum concessis, & unum plenarium toftum in burgo de Inverurin liberum & quietum ab omni servitio & exactione. Decimas omnes quas habetis in terra prædicti Comitis, & extra. Ex donatione quoque Regis Scotiæ unum plenarium toftum in burgo de Berriic, & aliud plenarium toftum in burgo de Strivelin, plenarium toftum in burgo de Carel, plenarium toftum in burgo de Pert, plenarium toftum in burgo de Forfar, plenarium toftum in burgo de Murrays, & unum plenarium toftum in burgo de Aberdeen. & terram unam in villa de Pert, in libero burgagio. Sanè novatum vestrorum &c. Prohibemus insuper ut nulli &c. Cùm autem generale interdictum &c. Crisma vero &c. Sepulturam præterea &c. Prohibemus insuper ut infra fines &c. Ad hanc etiam inhibemus, ne quis in vos &c. Obeunte vero te &c. Decernimus ergo &c. Salva sedis apostolica auctoritate, & diocesani Episcopi canonica justitia. Si qua igitur &c. Datum Laterani per manum Rainaldi Domini Papæ Notarij, Cancellarij vicem agentis, XIII. Kalend. Aprilis, indictione I. incarnationis dominice anno M CXCVIII. Pont. vero Domini Innocentij Papæ III. anno II. [Legendum, Indict. II. incarnationis dom. anno M CXCIX.

*CONSVLIBVS ET POPVLO
Efnis.*

Epi. 4.
Vt in reducen-
da Marchia ad
obedientiam
Pontificis dili-
genter laborat, Vm apostolica sedis jurisdictio spি ritualis nullis terminis coarctetur, immo super gentes & regna sortita sit potestatem, in multis etiam per Dei gratiam ejus extenditur jurisdictio temporalis: quæ licet aliquando visa fuerit propter quorundam violentiam coar-

V u

*f. perversorū

etari , nunc tamen eo faciente nobiscum signum in bonum qui imperat ventis & mari , & facit tranquillum , qui deponit potentes , & exaltat humiles , violentia * per se ipsum humiliata , reddit in potentatum antiquum , & de die in diem amplius dilatatur ; non homine pugnante pro nobis , sed Deo potius resipiente humilitatem nostram , & violentiam ab Ecclesia repellente . Ecce etenim per Dei gratiam ad fidelitatem Ecclesiae cum Perusin . Tudertin . Castellan . & aliis adjacentibus civitatibus , munitionibus , & castellis Ducatus rediit Spoletanus , & magna pars Thusciae , quæ in nostris privilegiis continetur . Ecce etenim univerfa ferè Marchia , præter Camarinen . & Esculan . civitates , quas tamen speramus in proximo redituras , faciente Domino , ac vestro studio procurante , devotè rediit ad fidelitatem Ecclesiae , ac fideliter per Dei gratiam in ipsis devotione persistit ; quæ verè per se dicere potest : *Jugum meum suave est , & onus meum leve . jugum sanè quod juvat , & onus quod non onerat , sed honorat . jugum etiam quod inexperti fortiter diligunt , & experti fortius concupiscunt . onus quod neficit sarcinam gravitatis , sed exonerat potius oneratos . Nos itaque studium & solicitudinem vestram soliciiùs attendentes , universitati vestra copiosas gratiarum exoluimus actiones , quòd quam citius se obtulerit opportunitas , ad fidelitatem sedis apostolicae matris vestrae humiliter rediisti , & alios ad dominium Ecclesia revocandos dilectis filiis nostris C. tituli sancti Laurentij in Lucina & I. tituli sanctæ Priscæ Presbyteris Cardinalibus , tunc apostolicae sedis Legatis , quos ad partes vestras circa novitatis nostræ primordia destinavimus , astitisti viriliter & potenter , nec personis nec rebus parcentes ; sicut evidenter operis evidencia manifestat , & nuper dictus sanctæ Priscæ Presbyter Cardinalis ad presentiam nostram revertens , nobis & fratribus nostris viva voce pleniùs intimavit . Ut igitur laudabilis fidelitatis vestra principium finis laudabilior subsequatur , rogamus discretionem vestram , monemus , & exhortamur in Domino , ac per apostolica scripta vobis mandamus quatenus in incepta fortitudine persistentes , ad revocandas civitates prædictas ad nostri fidelitatem dominij detis operam*

efficacem , ut cùm tota Marchia , dante Domino , fuerit in fidelitate sedis apostolicae solidata , ipsius promissionis præsidio & nostra protectione lætetur . Nos enim ad honorem totius Marchiae ac civitatis vestræ profectum dante Domino efficaciter intendemus . Datum Laterani XVI. Kal. Aprilis , pont. nostri anno II.

R. EPISCOPO S. ANDREÆ.

Sicut nobis tua fraternitas intimavit , monachi quidam & Canonici regulares , Ecclesias quæ ad eorum præsentationem pertinent , in tuo episcopatu habentes , propriis usibus deputare nituntur , nec ibi volunt ad eas , cùm vacaverint , personas idoneas præsentare , quin potius occasione concessionis quorundam Episcorum Vicarios in eis pro sua instituant & destituunt voluntate , admissos ita pensionibus onerantes quòd nec Ecclesiis competenter possunt pra paupertate nimia deservire , nec Episcopo in episcopali bus respondere , nec hospitalitatem , sicut convenit , transeuntibus impertiri . Nolentes autem ut status Ecclesiarum debitus & antiquus per alicujus insolentiam subvertatur , fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus nisi à jurisdictione tua exemplarē sint Ecclesiae supradictæ , præmissos excessus studeas rationabiliter emendare ; & nisi præfatae personæ infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum ad Ecclesias vacantes tibi personas idoneas presentaverint , ex tunc tibi liceat appellatione remota in eisdem ordinare reatores , qui eis & præesse noverint & prodeße ; ita quòd ex hoc nullum patronis in posterum præjudicium generetur . Datum Laterani VI. Kal. Martij , pont. nostri anno II.

R. EPISCOPO S. ANDREÆ.

Sicut nobis tua fraternitas intimavit , cùm in parochia sancti Andreæ pauci homines antiquitus fuerint & rari habitatores , unicam tantum matrem & parochiale Ecclesiam devotioni sibi fidelium fabricavit . Nunc autem , divina gratia faciente , usque adeo multitudine excrevit in eadem parochia populorum , quòd ad animarum evitanda pericula , quæ ibidem proponuntur sæ-

Epist. 5.
Nihil intia tem-
pus juris Eccle-
siarum patrum
præsidentem , de-
volvitur ad la-
teranensem .
Cap. Sicur . De
supplenda ne-
gligentia Prela-
torum .

Epist. 6.
Crescente nu-
mero parochia-
norum , novam
lacet extruere
Ecclesiam .